

virum admiratione prosectus fuerim, qui cum præcepis ferretur, temereque vagaretur, postea mente recepta ad virtutem officiumque rediit. »

Sic et S. Hieronymus, atque ex eo Albini: « Tandem, ait, in me reversus, et opera mea plena vanitate, plena sordibus, plena spiritu erroris intulit sum; nihil enim quod in mundo putatur bonum, bonum potui reperire. Reputans igitur quæ essent sapientiæ bona, et quæ stultitiæ mala, consequenter in laudem illius hominis erupi, qui post vitia se referans, virtutum possit esse secutor. »

*Tertio*, Septuaginta pro regem vertunt consilium, quia H. oracum מלך melech, id est rex, significat quoque consulem et consilium, eo quod regum sit consulere reipublicæ, uti multo ostendi Daniel. cap. iv, 24; vertunt ergo, quis est homo qui ingrediatur post consilium, simul quocumque fecerunt illud. Ita Complutenses, licet Vaticani deleant = simul. Alii vertunt, simul quocumque fecerunt cum illo; Aquila, quid autem homo ut sequatur consilium? Arabicus, quis enim trahitur post consilium?

Sensus est, q. d. Quis est homo, qui ita sapienter et consulto omnia sua agat, ut nunquam a sapientia et consilio declinet in errorem et stultitiam, per quam aliqua insipienter et inconsulto admittat? Qui sensus idem est cum eo quem ingerit Vulgata, uti initio dixi, ac Thaumaturgus et S. Hieronymus jam citati: consilium enim prudens est relicti vitii sectari virtutes. Aliter Olympiodorus, qui tripliciter explicat, ac proinde censet hic doceri, quantum differat sapientia a stultitia, id est virtus a voluptate: per consilium accipit consultationem de modo implendi sua desideria et vota: « Queramus, ait, an possit homo, qui elegerit sibi secundum hanc stultitiam vivere, complere sua desideria; hoc enim significat sequi post consultationem, » q. d. Ego Salomon morum consiliorum et votorum, cui tantum suppetebat facultatum, compos non fui: ergo non est, quod quis alius se suorum comitem fore confidat. Quis ergo homo est, qui ibi post, vel qui sequi possit consilium sive consultationem suam, q. d. Nullus aut rarus; neque enim quicquam dicescere appetit, penitus hoc consequitur; nec qui gloriæ cupidus est, voti proprus efficitur compos; et eadem ratione in cæteris sese res habet: qui vero sapientiam adamarit, Deo duce feliciter ductus, sequitur penitus consultationem, hoc est, invenit quod affectat. Alter sensus Olympiodori est, ut Salomon aitonius erumpat in interrogationem: Quisnam est homo qui se possit recipere, atque converti a desiderijs suis, et inspiciere motus electionis suæ, propositumque finem, ut didicisset, utrum sapienter vivat, an stulte? *Tertio*, Olympiodorus exponit sic, q. d. Salomon elevatus extra corpus, et per sapientiam videns quod post exitum huius vite nemo potest redire ad vitam, et iterum

frii iisdem rebus, quas dum viveret certo consilio exercebat, præposuit sapientiam stultitiæ.

*Quarto*, Chaldaeus vertit, animo etiam iustitiam sapientiam in regni administratione et intelligentiam; quid enim confert homini uti deprecatione, lato jam a rege sententia, cum jam ut repetatur ab eo supplicium decretum est? q. d. Nemo decretum a Deo in stultos, id est voluptarios, sapientiam effugere aut evertere potest: ergo sapientia præferenda est stultitiæ.

*FACTOREM SUUM.* — Legit interpres osehu, ut dixi: jam legunt אשכּוּ asihu, id est fecerunt illum vel illud. Unde varii varia suppletes varios dant sensus. *Primo*, Vatablus et Pagninus vertunt, quid est homo, ut veniat post regem, quod jam fecerunt? sique explicat, q. d. « Quid est homo ut veniat post regem, scilicet ut cognoscat, quod jam fecerunt facientes? hoc est quod gestum est ab hominibus et stulte et sapienter, » q. d. « Quis est ille homo privatus, qui exactius perspicere et cognoscere possit, quæ gesta sunt, quam ego cognosco, qui sum rex? »

*Secundo*, alii juxta Septuaginta sic explicant, q. d. Quotusquisque est, qui sequatur consilium sanctæ et sapientis vite, et impleat omnia ea quæ illud fecerunt, id est omnia annexa et prævia consilio, quæ illud quasi pariunt et salignant? Sane pauci sunt, ac forte præter me Salomonem vix ullus. Tam multa enim agenda consilium hoc circumstant, ut difficile sit omnia circumspicere, nedum servare et implere. Verti quoque potest, qui fecerunt illud, q. d. Quis sequatur heroes illos eximios, qui consilium hoc sapientis et perfectæ vitæ capessiverunt, et reipsa moribus impleverunt; quales fuere Noe, Abraham, Isaac, Jacob, Moses, David, etc. Sane pauci: perique enim omnes sequuntur suas cupiditates, et instituta vitæ tamque parentum et majorum, atque in opibus et delicijs, in quibus illi felicitatem suam posuere, hi quoque posteri eorum suam ponunt et collocant. Unde aliqui vertunt, quis est homo, etc., qui non sit facturus ea, quæ fecerunt alii.

*Tertio*, Arabicus vertit, quis enim trahitur post consilium, et sciet id quod fecerunt homines per ipsum? Hebræus enim אֶת־eth significat per, cum, ante, apud multaque alia, ut patet ex Lexicis.

*Quarto*, Cajetanus: Ratio, inquit, redditur, ut indicat particula (quia), cur Ecclesiastes verterit se ad videndam sapientiam et stultitiam, etc., seu ad discernendum inter sapientes et stultos, ac infricatos, quia illi per sapientiam venient post regem, et obediunt et (quem jam fecerunt eum), id est electum a se; hi per stultitiam et tricas redacti sunt in potestatem tyrannorum et malorum principum.

*Quinto*, planius Pagninus vertit, nam quid est homo, qui venturus est post regem, qui non sit facturus quod jam fecerunt alii ipsam? Id est: Quis præsumat plus in posterum vel nosse, vel prosperar quam rex, qui sum ego, cum frustra id hactenus

alii conati sint: cæperunt enim, nec perficere poterunt.

*Sexto*, simplicius Titelmanus vertit, quid est homo, ut possit sequi regem per ea quæ fecerunt? hoc est, quæ est hominis potestas, ut conetur assequi regem omnium Deum, et quasi videri illi æqualis per ea opera, quæ fecerunt homines vel facere possunt? q. d. Per nulla opera, aut in nullis operibus quæ ab hominibus possunt fieri, quispiam potest Deum assequi ut faciat paria.

*Septimo*, sublimius S. Trinitatis. Sicut enim Genes. xi, dicitur in plurali: Elohaim tara, id est, Deus (trinus in personis) creavit cælum et terram: » sic hic dicitur, rex fecerunt illum, id est, tres regie et divinæ personæ fecerunt et creaverunt hominem ad imaginem et similitudinem suam, ut per memoriam similis sit Deo Patri, per intellectum Filio, per voluntatem et affectum Spiritui Sancto. Ita Galetius, lib. II, cap. ix. Quocirca tota hominis sapientia, justitia et felicitas in eo consistit, ut se Deo assimiet, quoad potest. Nam, ut ait Echii. cap. xxiii, 38: « Gloria magna est sequi Dominum. » Quin et M. Antonius Imperator cognomen Philosopherum, rogatus quodnam esset summum hominis bonum, respondit: « Si deos imiletur, æorum autem imitationem esse, quam paucissimi indigere, et quam plurimjs beneficere, » uti refert Julianus Apostata in *Cesaribus*.

Moraliter hic et alibi S. Scriptura celebrat Deum, qua rex est et qua factor, id est Dei gubernationem et creationem, sive Dei sapientiam et omnipotentiam, illasque opponit nostræ insipientiæ et infirmitati, ut hæc ratione sternat nostram superbiam, præsumptionem, ingratitude, diffidentiam, anxietatem et nimiam sollicitudinem. Hinc Job, cap. ix, 4: « Sapiens corde est, inquit, et fortis robore: quis restitit ei, et pacem habuit? » Et vers. 10: « Qui facit magna et incomprehensibilia et mirabilia, quorum non est numerus. » Et vers. 14: « Quantus ergo sum ego, ut respondeam ei, et loquar verbis meis cum eo? » Vide Isaiam, cap. xl, 12 et sequent.

13. **ET VIDI QUOD TANTUM PRÆCEDERET SAPIENTIA STULTITIAM, QUANTUM DIFFERT LUX A TENEBRIS.** — Pro præcederet et differt, hebræica est אֶת־etron, id est residuum, superans, dignitas, excellentia, ut dixi cap. i, vers. 3. Unde Septuaginta vertunt, id est vidi quæ abundantia (Complutenses, excessus) est sapientia super stultitiam (Symmachus, ὑπερβαίνουσα, id est carentiam discipline, imperitiam, rusticitatem, insipientiam, ineptiam, temeritatem), sicut abundantia lucis super tenebras; Thaumaturgus, grande etenim sapientia insipientiæque interstitium, tantumque discrimen quantum diei est ac noctis; Arabicus, tanta præstat iustitia, quantum præstat præstantia lucis super tenebras; Syrus, et vidi esse lucrum in sapientia multo magis quam in stultitia, sicut præstantius est lumen tenebris; Vatablus, et dignitas vel excellentia sapientia supra stultitiam; Pagninus,

utilior est sapientia quam stultitia, sicut utilior est lux quam tenebræ; alii, tanta est amplitudo, fructus, premium, merces sapientia præ stultitia, quanta est amplitudo, fructus, præstantia lucis præ tenebris, solis præ caliginis, visus præ cæcitate; Chaldaeus, vidi ego in spiritu proph. 4. 4. quoniam excedit sapientia stultitiam, quanta lux diei tenebras noctis.

Nota apposite sapientiam, id est prudentiam, virtutem, sanctitatem conferri luci; stultitiam vero, id est imprudentiam, vitium et scelus conferri tenebris ob multas utrinque analogias.

*Prima* est, quod sicut lux est vera qualitas habens solidam essentiam et existentiam; tenebræ vero nil nisi lucis sunt privatio, id est, que nihil: sic et sapientia, id est virtus, solidam habet subsistentiam; tenebræ vero, id est vitia, virtutis tantum sunt privatio, nec solidam essentiam aut bonitatem habent. Ita Nyssenius.

*Secunda*, sicut lux fugat tenebras, et tenebræ lucem: sic sapientiam pellit insipientiam, ac virtus vitium; atque vice versa insipientia si deminetur, abigit sapientiam, et vitium virtutem. Ita Olympiodorus.

*Tertia*, summa est antipathia lucis et tenebrarum, qua fit ut nullam habeant societatem loci, temporis aut subjecti, juxta illud: « Divisit lucem a tenebris, » Genes. i, 4. Et: « Que societas luci ad tenebras? » II Corinth. vi, 14. Et *Ecl. xvi, 17*, Græci Codices Complutenses habent, lucem a tenebris divisit adamantum, id est, tanta firmitate et separatione lucem dispeccat a tenebris, ac si inter utramque murum adamantinum fabricasset.

*Quarta*, lux est qualitas nobilissima, cælestis et divina; talis est et sapientia ac virtus: tenebræ vero sunt caligo horrida, et infernalis et diabólica; talia pariter sunt insipientia et malitia.

*Quinta*, lux dirigit omnes hominis gressus et actiones; tenebræ vero utrosque impediunt. Sic sapientia dirigit omnes hominis operationes, quas insipientia perturbat et pervertit.

Notat *secundo*, Pineda, per lucem accipi posse solem et diem; quia sol efficit lucem, et lux diem, per tenebras vero noctem et caliginem, quia eam causant. Sapientia ergo et virtus similis est soli et diei: insipientia vero et vitium simile est nocti. Sicut enim sol mundum et res omnes illustrat, sic sapientia hominis animum jubare suo ac radijs illuminat, illique splendorem, dignitatem atque ornamentum mirabile addit. Rursum, sicut sol inferiora ista suo calore fovet atque vegetat, varietatem pulchritudinemque efficit: sic sapientia suam ad certum splendorem transmittit. « Sapientia (quippe) hominis lucet in vultu ejus; » humanos sensus moderatur, modum oculis, ori, auribus adhibet, universisque actionibus temperationem et polchritudinem: contra vero stultitia, cum semel animo insedit, caliginis et tenebris omnia involvit, horrore atque squalore omnia deturpat, mentem obcecet, se-

des torpidos atque squalentes facit, toti corpori deformitatem inleperiemque offundit.

Plures analogias solis et sapientie, sive lucis et virtutis, recensens *Genesis* 1, 8 et 16; *Isaia* XLV; *Ecclesi.* XLIII, 2; *Ephes.* V, 8, ad illa: « Eratis aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulatis: fructus autem lucis est in omni bonitate, iustitia et veritate; » *Jacobi* I, 17, 1 *Joannis* 1, 5 et sequent.

Symbolice, lux symbolum est oculi et visus, tenebræ vero exoculationis et cæcitatatis: hinc sapientia, quæ lux est spiritualis, similis est oculo et visui; stultitia vero, exoculationi et cæcitati. Quod enim est lux oculo, hoc oculus est corpori, et intellectus anime. Unde sequitur: « Sapientis oculi in capite ejus, stultus in tenebris ambulat. »

14. SAPIENTIS OCULI IN CAPITE EJUS: STULTUS IN TENEBRIS (alii, in tenebrositate) AMBULAT: ET DIDICI QUOD UNUS UTRINQUE ESSET INTERITUS. — Campanensis, sapiens oculus habet in fronte, stultus velut cæcus palpitat; Valabius, circumspiciens est sapiens, videt quod agendum sit, cum stultus cæcus sit et improvidus; Chaldaeus, sapiens contempletur in principio quod futurum est in fine: *oransque infausta iudicia Dei ab hominibus avertit et retardat; sed novi quod si non oraverit sapiens, neque ex orbe infelix illud decretum depulset, cum in mundum veniet vindicta, omnes eodem eventu censi.* Pro interitus hebraice est *מֵת* *micre*, id est occursus, eventus; Syrus, occidens unum accidit omnibus; Arabicus, occursus unus occurrit omnibus eis; Thaumaturgus, æqualis mors; Scholiastes Græcus, unus frons; S. Hieronymus, communis interitus, eadem plaga, eadem mors, pares angustia; S. Augustinus, unus incurtus; Campanensis, idem exitus; Figurina, eadem fortuna.

Explicat et confirmat quod dixit sapientiam esse lucem, stultitiam vero tenebras, ex eo quod sapientia sit quasi oculus in sapientis capite, omnia que circum illum sunt instar lucis illustrans; stultitia vero tenebras mentis cimmaria stulto circumfundat.

Igitur hujus adagii sensus est, q. d. Sapiens oculos lucidos habet in capite, seu speculatores, oculos, inquam, tum corporeos frontis, tum potius spirituales mentis, quibus ex alta quasi capitis arce et specula omnia cominus circumspicit, et eminens prospicit: quo fit ut omnia ipsi lucida et clara sint, atque in luce perpetua ambulet, ut que omnibus provident, noxia caveat, utilia capessat; lux hæc est circumspectio, prudentia et providentia. Stultus vero perinde ac si oculos haberet in catenæo, non in capite; in talis, non in cerebro, damnæ vel commoda non prævidet, nec providet; sed veiat in tenebris ambulans obvias voluptates sectatur, ideoque in nulla noxia, imo in exitium corporis et anime corrumpit, juxta illud *Prov.* cap. IV, 19: « Via impiorum tenebrosa, nesciunt ipsi corrumpant. » Ita S. Basilus in *Psal.* XXXIII. Audi Nyssenum, orat. 2 in illud: *Pactemus hominem ad imaginem nostram: « Genitus es, inquit, ut*

Deum videas et contempleris, non ut humi dejecta serpat vita tua, non ut pendulum voluptates conseceris, sed ut vitam celestem agas. Ideo sapiens oculi sunt in capite ipsius. Cur autem non ad caput, sed in capite? nempe ut que excelsa ac sublimia sunt intenteat et spectet; qui autem ea non aspiciet, sed terrena, is oculos humi defixos et sepultos habet. »

Hinc Chaldaeus verit, *sapiens contempletur a principio id quod futurum est in fine.* Unde illud: « In occipito oculus, » ut finem respiciat. Et Cajetanus: Vident, inquit, oculi sapientis caput, id est principium operis, qui finis est, et consequenter media congrua. Finis enim movet ad opus, velut medicum ad finem, quem præconcepit assequendum. Quocirca poeta Janum, qui prædentes est typos, pinxerunt bifrontem, eo quod vir prudens antecedentia æque ac sequentia tempora rerumque eventus procul aspiciat et prævidet, sibi que provideat. Igitur sapiens oculos habet in capite, quasi in oculum defixos; stultus vero in pedibus, quasi in terram demersos. Huc faciunt veterum adagia: « In virtute oculi et manus, » id est prudentia et operatio: « Oculus vite est sapientia: Sal vite amicitia: Antidotum vite patientia. »

Secundo, sapiens oculos habet in capite, quia excelsa, celestia et divina contempletur et spectat, eoque omnem mentis suæ cogitationem, omnem actionem, omne studium, omnem intentionem suam dirigit. Stultus vero oculos videtur habere in pedibus, quia non nisi terrena, vilia, exilia cogitat, amat, sectatur. Ita Olympiodorus: Caput, inquit, in corpore emicat et eminet; hinc oculos habere in capite, est superna et æterna contempleri. Et Thaumaturgus: « Nam qui virtutem, ait, sectatur, similis est homini clare sursum, et undequaque cernenti, atque fulgidissimo jubare iter facienti. Contra qui vitii erroribusque implicuit, comparandus est errant in tenebris: cæcus enim est, et oculos illi tenebrosa opera sua effoderunt. » Et Auctor *Catene Græcæ*, ex Nysseno: « Quando, ait, speculatrix anima vis rebus sensibilibus vacat, a natura sitque suo avulsis oculis oculi; et quamdiu per illos aspiciet res inferas, in calcaneos migrant, illaque rerum sublimium contemplationis fit expertus. » Sin autem vana que deorsum despiciens sursum aspiciat, oculos dicitur habere sursum in capite. Puleherius vero S. Basilus, homil. 9 *Hexam.*, sub fine vero: « Ut herbas deapascat et attendat oris, facta est; eoque caput acclinat ac deflectit in terram, ut spectet ventrem, à que sub ventre sunt; quando in hunc scopum felicitatis illorum exitus conspirat pastu ut exsatiat ventrem, ac voluptate. Homo non item. Nec enim oculos in ventrem demittit. Ipsi etenim caput est spectans in sublime, quo celestem illam suam cognitionem agnoscat et contempletur. Oculi nequaquam terram innuunt. Cave igitur quidquam designes, quod

generositate tue repugnet natura. Terrena hæc ne circumspicias, sed celestia, ubi Christus est. Si consurrexeris enim, ait Paulus, cum Christo, que sursum sunt querite, ubi Christus est. Hæc enim conditio et lege formatus es. Tui corporis effluvia rudimentum quedam est, quo docearis ad quem sis finem quæditus; ut Deum contempleris factus es, non ut humi repat vita tua, non ut pendulum ritu voluptate perfruaris; verum ut ad portam et institutum celestis vite tuam ipsius componas. Et hæc gratia non inscite dixit sapiens Ecclesiastes: Sapientis oculi in capite ejus. Cujusnam oculi non sunt in capite? Atqui hic in capite, hoc est, ut ea contempletur, que in sublimi sunt. Nam qui non ad bona que in sublimi sunt, sed que in terra, respiciat, is ilique defigit de trahitve oculos in terram. »

Alludit ad primam hominis et animalium creationem, in qua homo creatus est erecto corpore et capite, ut oculis cælum et celestia aspiciat et ambiat; cætera vero animalia creata sunt capite et oculis ad pedes, et terram depresso, quia non nisi terrena pabula et gramina cogitant, amant et sectantur, juxta illud Nasonis in *Metamorph.* lib. 1:

Præterquam cum spectent animalia cætera terram,  
Os homini sublime dedit, coelumque tueri  
Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus.

Hinc nonnulla animalia, præsertim pisces, habent oculos in ventre: unde illud apud Homerum: « Solea oculata; » notantque stultos, « qui terrena sapiunt, quorum Deus venter est, » *Philipp.* III, 19: qui proinde recte Dagoniste vocentur.

Audi S. Ambrosium, lib. VI *Hexamer.* cap. IX: « Ac primum omnium cognoscimus, humani corporis fabricam instar esse mundi. Siquidem ut cælum eminet aeri, terra maria, que velut quedam membra sunt mundi: ita etiam caput supra reliquos artus nostri corporis cernimus eminare præstantissimumque esse omnium, tanquam inter elementa cælum, tanquam arcem inter reliqua urbis mœnia. In arce autem hæc regalem quandam habitare sapientiam, secundum propheticum dictum, quia oculi sapientis in capite ejus: hæc esse cæteris tutiorem, et ex illa omnibus membris vigorem providentiamque profert. Quid enim robur et validitas lacertorum proficiat, quid velocitas pedum, nisi capitis, veluti principis sui, imperialis quedam adminiculetur potestas? Ex hoc enim aut desituntur universa, aut omnia fulciantur. Quid agat forlittudo, nisi oculo duse utatur in prælium? Quid fuga, si desit obtutus? Carcer est totum corpus, tenebrosa inhærens situ, nisi oculorum illuminetur aspectu. Quod ergo sol et luna in cælo, hoc sunt oculi in homine. Sol et luna duo mundi lumina. Oculi autem quedam in carne sidera fulgent desuper, et inferiora claro illustrant lumine, nec parviter notis quibusdam nos tenebris impli-

cari; speculatores quidam nostri die ac nocte excubant. Nam et ex sapore membris cæteris citius excitantur, et vigilantes circumspiciunt omnia; viciniores enim sunt cerebro, unde omnis manat usus videndi. » Et nonnullis interjectis: « Caput itaque oculis explorat omnia, auribus occulla rimatur, cognoscit abscondita, audit quid aliis agatur in terris. » Vide eundem, lib. *De Arca Noe.*

Hæc de causa in baptismo inungitur caput baptizati. Audi S. Ambrosium, tract. 2. *De Sacramentis*, et habetur *De Consecr.* dist. 4, *Can.* LXXXVIII: « Accepisti mysterium, hoc est unguentum super caput. Quare super caput? quia sapientis sensus in capite ejus. »

Tropologice Cajetanus: « Sapientis oculi, ait, in capite » id est, jugiter caput reflexe valut in speculo intuentur, eo quod sapiens primum noscat seipsum, omnesque mentis suæ cogitationes et intentiones exacte discutiat, itaque omnia in luce operetur. Huc facit vetus adagium: « Oculus in pectus, » q. d. Inspice teipsum.

Sic demum qui sis, quantus, qua sorte videbis,  
Et pede prædicente te metere tuo

Rursum, q. d. Sapiens ex oculis et capite discernitur, juxta illud cap. VIII, 1: « Sapientia hominis luget in vultu ejus. » Et *Proverb.* XVII, 21: « In facie prudentis luget sapientia, oculi stultorum in finibus terre. »

Insuper oculi sapientis, id est principis (hic enim præ cæteris pollere debet sapientia, qua subditos omnes sapienter regat), sunt in capite ejus: quia princeps, qualis erat Salomon, uti capite, id est dignitate et auctoritate, sic et oculis, id est vigilantia et circumspeditione, cæteris eminerere debet, ut ex alto regni sui throno omnes sibi subditos circumlustret, ab eisque omnia noxia areat, et profutura procurat. Hinc Ægyptii Dei hieroglyphicum dabant « oculum in baculo, » oculo Deo providentiam, baculo potentiam denotantes. Unde illud: « Oculus in sceptro, » id est, vigilantia sit in rege et principe. Ita S. Ambrosius in *Psal.* I, pro oculi legens sensus: « Sensus, inquit, sapientis in capite ejus. Quod referri potest etiam ad Ecclesie præeminentes. » Idem, *Exhort. ad Virgin.*: Oculi hominis in capite ejus, id est, inquit, sapientie tue sensus. » Oculi enim typos sui. t. sapientie et sensus.

Allegorice S. Hieronymus, Olympiodorus, Salonius, Iulio et alii per caput accipiunt Christum, in quem jugiter oculi mentis nostre intendunt oportet, ut ab eo sapientiam discamus et hauriamus. « Qui in perfectum virum pervenerit, ait S. Hieronymus, et meruerit ut caput ipsius Christus sit, oculos suos semper habebit ad Christum, et eos in sublime elevans nunquam de inferioribus cogitabit. » Et S. Gregorius, XVII *Moral.* cap. V: « Oculi sapientis, inquit, in capite, ejus, qui videlicet sapientis quisque illum tota intentione

Genius  
Pun ob  
gna.

Oculus  
depreza  
soli id  
huz.

considerat, cuius se membrum esse per fidem pensat. » Et lib. XX, iv: « Oculi, ait, sapientis in capite ejus sunt, dum redemptoris sui semper opera, quae imitari debeat, contemplantur. » Et, ut idem ait, hom. 2 in *Ezech.*: « Cum omnis nostra intentio in eum se erigit, ne si vias lucis aspiciere oculus mentis neglexerit, statim clausus in tenebris erroris cadat. » Hinc ait *Psalm.*, *Psalm.* cxviii: « In mandatis tuis exercebor, et considerabo vias tuas. »

Anagogice, oculi spirituales eorum qui vacant vitæ contemplativæ, sunt in capite, id est in parte superiori animæ, quæ mens et spiritus dicitur; existenciarum vero sunt in ipso apice mentis, quo ad Deum evolvant, in eumque se mergunt ut videantur deficiari, unusque cum eo spiritus fieri, quia per ænigmata videtur Deum, in eoque future felicitatis gaudia prelibant. Ita Lyranus, quin et S. Hieronymus, in cap. ii *Isaiæ* et in cap. ii *Daniel.*

ET DIXIT QUOD UNUS UTRAIUSQUE ESSET INTERITUS. — Hebraice est *מֵרֶדֶת* *mere*, id est occursum, accidens, casus, eventus, ut vertunt Septuaginta, Syrus, Chaldeus, Vatablus, Pagninus, per quem S. Augustinus, lib. XX *De Civit.* cap. iii, accipit ea mala, quæ bonis et malis videmus esse communia. Olympiodorus vero accipit tam bona quam mala, q. d. Indifferenter sapienti et stulto, id est probo et improbo, obvenit morbus æque ac sanitas, opes æque ac inopia, honor æque ac contemptus, ac præsertim vitæ æque ac mors. Hinc Noster apte vertit, *interitus*, quibus enim eventus ita communis est omnibus, qui certo singulis obvenit, tam iis quam impiis, ac mors, juxta illud Horatii:

Pallida mors æquo pede pulsat pauperum tabernas,  
Regumque turres.

Mors ergo est *mere*, id est communis omnium, nemine prius excepto, casus et occasus. Rursus mors est *interitus*, id est occursum; occurrit enim non cogitantibus, et non expectantibus, occupat incautos, interoccurrit negotiis, deliciis et prosperitatibus hominum, ut cum in mediis versantur opibus, honoribus et gloria, mors eis ex latere obviat, hæcque omnia in momento succidat, ipsosque ex litantibus interimat.

Muli censent Salomonem hoc dicere non ex sua, sed ex aliorum, qui animæ immortalitatem negant, persona. « Ut representet, ait Nyssenus, objectiones eorum qui ad hanc vitam sunt pusilli et subjecti animi, et qui ex virtute nihil credunt Incri accidere, quoniam in eundem finem utriusque vita desinit. » Sic et Thaumaturgus, Olympiodorus, Hugo Victorinus, Lyranus et alii. Verum nil est quod cogat hoc dicere; imo sequentia et antecedentia indicant hic Salomonem ex se suaque mente loqui.

Sensus ergo est, q. d. Suggestit mihi mens vestigare quod intersit inter sapientiam et insipientiam, ac deprehendit sapientiam quoad animam quidem tantum superare stultitiam, quantum lux

superat tenebras; in eo tamen pares reperi, quod quoad corpus utrisque, scilicet sapientibus et insipientibus, eadem sors et mors obveniat, atque ex eo tam sapientia, quam stultitia suam quoque inesse vanitatem, id est fugacitatem et interitum, quo evanescat, comperi. Omnia enim hæc eo spectant, ut ostendat omnibus in rebus, quæ sub sole in terra sunt, se invenisse vanitatem, et inde concludat veritatem ambientem, mentem figendam esse in Deo et celo, in quo nulla est vanitas, sed vera stabilitas et stabilis æternitas.

15. ET DIXIT IN CORDE MEO: SI UNUS ET STULTI ET MEUS OCCASUS ERIT, QUID MIHI PRODEST QUOD MAJOREM SAPIENTIE DEDI OPERAM? — « Quid mihi prodest, » scilicet ad hanc vitam prorogandam in terra, cum sapientia mihi vitam hanc conservare, eamque a morte preservare nequeat; sed sapiens, æque ac stultus, id est probus æque ac improbus, legem mortis omnibus communem et fatalem subire debeat: nam in altera multum proderit sapientia, id est virtutis studium, utpote quod sapienti æternam felicitatem et gloriam conciliabit; cum stultitia, id est impietas, et scelera impio parient gehennam et mortem æternam. Abstrahit ergo hic Salomon a futuro piorum et impiorum post hanc vitam statu, et tantum presentem hujus vitæ spectat, uti solent facere philosophi et physici, quia loquitur radii sæculo et ridibus Judæis. Unde signanter addit vers. seq. « sub sole, » q. d. Omnia sub sole sunt vana. Si ergo queris veritatem veramque felicitatem, quaere eam supra solem, apud Deum in celo empyreo. Toto enim hoc libro ostendit omnia terrena esse vana, id est morte finire et evanescere: celestia vero esse vera, id est durare, firmari, æternare (1).

Alii censent Salomonem hæc dicere ex mente stultorum, id est impiorum, qui presentibus inhiant, futura non curant, nec credunt aut sperant: quibus favent Septuaginta qui pro *וְיִתֵּן יְהוָה*, id est majorem, virtutem, abundanter et in abundantia. Unde sic ex eis legit S. Hieronymus: « Ut quid sapiens factus sum ego? Tunc abundanter locutus sum ego in corde meo, quoniam insipientis loquitur ex abundantia (id est ex superfluentia in ipso stultitia, ait Olympiodorus. Nam « garrulitatis fluentia tanquam ex fonte erumpunt stultitie, » ait S. Gregorius), quoniam hoc quoque vanitas. » Et Syrus, Septuaginta more suo assectans, *locutus sum, ait, in corde meo, quod hoc etiam vanitas sit, quia stultus multo magis loquitur; Arabiceus, quando locutus sum in corde meo præstantiam ejus, quoniam stultus ex præstantia cordis sui loquitur.*

(1) Quare dixi ego in corde meo: Quævis sors stulti est, talis etiam mihi eventus, et si res ita se habet, cur me sapiens factus sum ego magis quam alii? At jungendum cum *lanah* (germ. *verum den*, gall. *pourquoi alors*). *Ither*, reliquus, hinc substat. *questus, encolumentum* (vi, 8, 11; vii, 11) hic adverb. *amplius, magis, ut sapiens in hoc libro.*

Verum « stultus non est in Hebræo. Quocirca nostra Vulgata versio, ejusque interpretatio paulo ante recensita, verior et germanior est.

Denique Chaldeus thesiv ad hypothesis deducens, per stultum accipit Saul, per sapientiam vero ipsum Salomonem; unde vertit, et dixi in corde meo: Sicut evenit Sauli regi, qui declinavit in stultitia sua, et non custodivit mandatum, quod ei præceptum fuit Amalec, et ablatum fuit ab eo regnum; mihi quoque venit: et ad quid sapientior fui ego illo? Et locutus sum in corde meo, quod etiam hoc est vanitas, et nihil est nisi per sententiam verbi Domini.

LOCUTUSQUE CUM MENTE MEA, ANIMADVERTI QUOD HOC QUOQUE ESSET VANITAS, — q. d. Atque ita mecum in corde meo ratiocinans et disputans, defini quod etiam hoc esset vanitas, nempe in sapientia propter seipsam velle quiescere, et nolle ad finem ulteriorem, puta ad vitam æternam tendere, ad quem perducere debet sapientia. Hæc enim est lux et dux ad vitam jugem et beatam. Ita Titelmanus et alii.

Aliter Septuaginta qui hæc ad stultum referunt. Unde eos secuti S. Hieronymus, Thaumaturgus, Olympiodorus, Albinus et alii, censent hic esse correctionem; Salomonem enim corrigere stultorum sententiam vers. præced. recensitam, q. d. Stulti, ex eo quod idem interitus, eademque mors obtingat sapienti quæ stulto, inferunt: ergo nil prodest studere sapientiæ et virtuti. At ego hoc eorum judicium vanitatem, id est vanum et stultum esse pronuntio.

16. NON ERIT ERIM MEMORIA SAPIENTIS SIMILITER ET STULTI IN PERPETUUM, ET FUTURA TEMPORA OBLIVIONE CENCTA PARITER OPERIENT: MORITUR DOCTUS SIMILITER UT INDOCTUS. — S. Hieronymus, Thaumaturgus, Olympiodorus, Albinus et Hugo Victorinus secuti Septuaginta, putant hic notari discrimen sapientis et stulti, sive pii et impii, quod sapientis memoria daret in perpetuum; stulti vero non sit illi similis, sed dissimilis, eo quod cum hæc vita evanescat. Itaque negationem non referunt ad *similiter*, q. d. « Non erit similiter, » id est similis memoria sapientis et stulti in perpetuum, id est in futuro æternitatis sæculo, quod omnia presentia tempora oblivione operiet et sepeliet: quare non moritur doctus similiter ut indoctus; negationem enim non per hebraismum ex initio versus hic repetendam censent, q. d. In futuro sæculo dissimilis erit memoria sapientis et stulti, id est prohi et improbi; quia tunc florebunt memoria sapientis, stulti vero oblivioni æternæ tradentur. Unde Chaldeus vertit, non est memoria in sæculo venturo prudentibus cum stultis; et simul alque homo s vivis decebit, et ea quæ temporibus suis acciderint, et quæ post eum evenient, omnino oblivione conteruntur. Quare igitur existimabant homines eundem justorum et sceleratorum eventum esse? Sic pariter ultima hæc verba per interrogationem efferunt S. Hieronymus in *Comment.*,

Olympiodorus, Arabicus, Vatablus et alii, cum ex adverso Vulgata Latina ea assertive legat, dicatque: « Moritur doctus similiter ut indoctus; » quæ lectio Hebræo conformior, ideoque verior est (1).

Vulgatæ ergo sensus planus est, q. I. Esto sapientia natura sua præstat stultitie, hoc est virtus vitio, quantum lux præstat tenebris, tamen in hoc poros sunt, quod utramque succidat mors: adeo enim sapientia vitam conservare nequit, ut nec memoriam possit. Tempus enim omni homini sicut vitam, sic et memoriam tollit, cumque oblivione sepelit. Quare moritur sapiens æque ac insipiens, ac post mortem memoria utriusque illico oblivioni traditur et evanescit. Utrique ergo sua hæc inest deploranda vanitas, imo subinde stulti, id est improbi longioremem habent memoriam, majoremque famam, quam sapientes, id est prohi, uti habuit Pharao, Nabuchodonosor, Alexander exterique gentium tyranni: ex quo viri cordati recte colligunt post hanc vitam superesse judicium, vitamque alteram in qua iusto iudice Deo probis premia pro meritis, impropis supplicia reddentur. Hoc enim exigit Dei providentia et justitia. Licet ergo ea sit dignitas Dei, tantaque ejus in nos merita, ut etiam nulla probis premia, nec improbis supplicia decrevisset, a quovis tamen omni amore, obedientia et cultu colendus foret; virtutis etiam tanta sit honestas et decor, ut pro se expetenda et ambienda sit, nulla quoque perpetua pena vel premio, imo etiamsi nulla superesset homini altera vita, sed anima cum corpore interiret: qua ratione S. Bonaventura diabolo suggerenti ipsum esse reprobum, ac proinde suadenti ut captaret hujus vitæ voluptates, cum a futuris a Deo foret exclusus, respondit: « Si non datur frui Deo et virtute post hanc vitam, fruamur eo in presentibus; » tam enim vera et solida ejus sunt gaudia, ut omnes mundi et carnis delicie cum eis non sint conferendæ; paux enim, serenitas et lætitia bonæ conscientia, quam parit virtus, superat omnes mundi voluptates: his tamen non obstantibus, magna sapientie et virtuti hæc annexa est vanitas et miseria, quod morte succidatur et finiat. Unde nisi speraret aliam vitam beatam et æternam, valde foret erumpens, paucique ejus labores et dolores, utpote premio carentes, capere sereat. Quocirca ait Apostolus *I Cor.* xv, 19: « Si in hac vita tantum sperantes in Christo sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus; » qui sine spe et fructu studeamus mortificationi carnis, ejusque voluptates abdicamus, quibus cæteri indulgent.

Nota hæc omnia accipienda esse de vita et memoria presentis apud homines, quam pari fine in

(1) Hebr. est, nam non est memoria sapienti cum stulto in æternum, quia diesbus venturis iudicium omnia oblivioni tradita erunt; et, id est, quomodo moritur sapiens cum stulto, æque ac stultus!

morte terminant sapiens et stultus, probus et improbus, non vero de futura apud Deum. In illa enim erunt imparis et dissimilissimi probus et improbus. Nam « pretiosa » apud Dominum « mors sanctorum ejus, » *Psalm. cxv.* Ex adverso « mors peccatorum pessima, » *Psalm. xxxiii.* similiter : « In memoria aeterna erit justus, » *Psalm. cxl.* Rursum : « Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum esse merces eorum, et cogitatio eorum apud Allissimum, » *Sapient. cap. v.* Ex adverso de impiis dicitur *Psalm. lxxxviii.* 6 : « Quorum non es memor amplius, et ipsi de manu tua repulsi sunt. » Et *Psalm. xlviii.* : « Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos. » Infernus etiam vocatur *Abi*, id est oblitio, et terra obliuionis, *Psalm. lxxxviii.* 13; eo quod damnati, qui in eo degunt, rejecti, despecti et velut obliuioni aeternae traditi sunt. Hinc poete fabulantur Lethen esse fluvium apud inferos, cujus latices si quis gustaverit, omnium rerum oblitiscitur; de quo Lucanus, lib. IX :

Quam juxta Lethes tacitos perlabitur annis,  
Inferus (ut fama) trahens oblitia venis.

Similia habet Virgilius, VI *Aeneid.*, et Ovidius, libro I *Tristium*, Elegia VII. Quin et Varro ac Festus lethum, id est mortem, derivant a Graeco *lethi*, id est oblitio, quam affert mors; licet Priscianus derivet a prisco verbo *leo*, id est deleo, quoniam mors omnia delat. Hinc et antiqua apud S. Hieronymum versio hoc loco sic habet : « Eo quod ecce di-bus qui superveniet universi oblitio operiret; » quod Olympiodorus sic explicat, q. d. In venturo saeculo quaecumque in hac vita nobis occurrerit, sive infirmitas, sive sanitas, sive divitiae, sive paupertas, in oblivionem ibunt.

7. 17. ET DICICO TADICIT ME VITE MEAE, VIDENTER MALA (misera, feruindosa, caduca, quae in morte finem accipiant) UNIVERSA ESSE SUB SOLE, ET CUNCTA VANITATEM ET AFFLICTIONEM SPIRITUS. — Hebraea, et odivi vitam, quod malum esset super me opus, quod factum est sub sole, quia omnia vanitas, et ורעו רעו, id est malitia, sive afflictio spiritus, ut vertit Arabicus; Septuaginta vertunt, *accipiens*, ut est electio, vel presumptio spiritus; Chaldaeus, *contritio spiritus*, vel, ut Costius vertit, *severitas animi*; Syrus, *perturbatio spiritus*; Pagninus, *cogitatio spiritus*; S. Hieronymus, *passio venti*; Cajetanus, *fractio spiritus*; Campensis, *cruciatu animi*; alii, *irritamentum vel defatigatio spiritus*; alii, *molestia animi*. Vide dicta vers. 13, et cap. 1, 14.

Hoc tedium vite sentiunt sapientes quoque et sancti, tum ob vite labores, molestias et dolores, tum ob ejus brevitetem et finem, quod scilicet omnia ejus bona finiantur in morte, tum ob ejus cupiditates, tentationes et pericula peccatae damnationis, quae crebro suggerit, etiam perfectos ad desiderium fruendi Deo, quem tantopere diligunt, eumque intensissime semper amandi et laudandi. Unde hoc tedium sentiebat S. Paulus

dicens : « Infelix ego homo : Quis me liberabit a corpore mortis hujus? » *Roman. vii.* Et : « Coarctor autem et duobus, desiderium habens dissolvi et esse cum Christo, » *Philip. ii.* 23. Vide ibi aetate. Idem hujus vite tedium et migrationis ad meliorem desiderium habuit S. Job, cap. x, 1; Jonas, cap. iv, 8; Rebecca, *Genes. cap. xxvii.* 46; Elias, III *Reg. ix.* 4; David, *Psalm. cxli.* 8; Jeremias, xx, 14; S. Augustinus, obsessa a Wandalis sualippone; quin et Charistus imminente passione, *Marci xiv.* 33. Vide S. Cyprianum, *De Mortalitate*, et S. Ambrosium, lib. *De Bono mortis*.

Porro alii aliam hujus tedium Sapientis causam afferunt, scilicet quod videat stultorum stultitiam, id est impietatem et scelera, ob quae dolet et ingemiscit. Unde Chaldaeus vertit, *odi certe improbam vitam degentes. Neque enim nisi gravate ferre possum nefaria illa facinora, quorum homines hoc in orbe sunt perquam studiosi.* Et Symmachus, *malum mihi visum est opus, quod fiet sub sole. Malum enim opus (inquit Olympiodorus) laboriosam vitam peccatorum hominum intelligit.* Nyssenius et Thaumaturgus referunt ad ipsos exactae vite labores et studia vanitatis : « Vitam (inquit) omnem meam execrari cepi, quam in rebus vanis traduxeram, atque consumperam terrenis laboribus intabescens : etenim omnia mihi magna cum molestia elaborata sunt. »

18. RURSUS DETESTATUS SUM OMNEM INDUSTRIAM MEAM, QUAE SUB SOLE STUDESSEME LABORAVI, HABITURUS HEREDEN POST ME.

19. QUEM IGNORO, UTRUM SAPIENS, AN STULTUS FUTURUS SIT : ET DOMINABITUR IN LABORIBUS MEIS, QUIBUS DESUDAVI ET SOLICITUS FUI. ET EST QUIDAM TAM VANUM? — Hebraea, *odivi etiam i ego omniom laborum meum, quem laboravi sub sole, id est quod timetam illum homini, qui venturus est post me. Et quis scit utrum sapiens sit an stultus, qui dominatur tam vanum?* — Hebraea, *odivi etiam i ego omniom laborum meum, quem laboravi sub sole, id est in quo sapui sub sole?* id est, quem sapienter obivi sub sole, quod sapienter opes paravi. Interpres Nyssenius, *quem mea industria excogitavit*; alias per antiphrasin vertit, *quo desipui, vel quo deceptus sum*; Chaldaeus, *et obstupui in corde meo, et dixi : Hoc etiam vanitas. Ita et Septuaginta, nisi quod pro quo dominaturus est, vertant dicitur, utrum dominaturus sit. Sic et Arabicus. Alius vertit, an in libidinis versaturus sit, sive an pro libito et libidine dominaturus sit, usurusque et abusus opibus meis. Septuaginta vertunt *excogitavit*, id est, *autocritatem et principatum excogitavit*; Interpres Nyssenius, *imperavit*; Complutensis, *licentiosus erit*; alii, *potestatem habebit*; Campensis, *accipiet omnia mea*. Hebraice est verbum *שולט* *scolat*, id est, ad libitum pleno jure dominari. Unde *sultan*, sive *soldanus*, est rex vel imperator absolutus, qualis est Turca. « Odivi, » id est tediui me, uti vertit Noster vers. 17, naveavi, abhorui, detestatus sum.*

Transit ad vanitatem studii di'andi filios et ha-

redes; quod magnam hominum partem detinet et occupat : transit autem accomode et opportune. Cum enim initio capitis recensisset vanitates opum, aortorum, deliciarum, etc., ab his transit ad sapientiam, in qua licet ceteris prestantiore haec vanitatem se reperisceserit, quod sapienter equo moriatur ac stultus, nunc, ne quis occurrat et dicat : Etsi sapiens moriatur, relinquat tamen post se filios et heredes, in quibus supersit ejus nomen et fama, adeoque in quibus quasi in viva sui imagine superstes sit et vivat; respondet magnam et multiplicem in quaerendo ditandoque haerede esse vanitatem.

Prima est, quod hac in re ingens sit uti cupido homini innata, sic et sollicitudo ac assiduus labor et dolor, adeoque tota vita insumatur in coacervandis opibus, quibus coacervans non fruitur; imo paulo post in morte eas deserere cogitur, ac inops reverti in terram, e qua inops processit, juxta illud : « Nudus in hunc mundum veni, nudus revertar ad sepulchrum. » Et illud Apostoli : « Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dabium quod nec auferre quid possumus, » I *Timoth. vi.* 7. Unde Saladinus, qui magnis laboribus et preliis acquisierat regnum Syriae et Aegypti, moriens jussit linteum, cui cadaver suum involvendum erat, in hasta erectum per castra circumferri, ac preconem per vias et compita proclamare : « Saladinus, Asiae imperator, moriens nihil aliud ex tantis opibus secum auferet. » Ita Blondus, *deca. 6.* lib. VI. Talis ergo defraudat suum genitum, ut alterius fauces hiantes videtur. Vnde Seneca, *epist. 14.* : « De incrementis, inquit, cogitat; oblitus est usus : fit ex domino procurator. » Quocirca Plutarchus in *Moral.* eos comparat canalibus, qui aquam non sibi sed aliis servant : « Ut hi quoque aliis, inquit, si aliis servent instar figlinorum canalium, qui nihil in se retinent aquae, sed unusquisque proximo a se eam tradit, donec extrinsecus sycophante aliquis aut tyrannus, fracto tubo, alio derivet avertatque divitias. »

Secunda, quod ea relicturus sit alteri, et nesciat cui, an filio, an extero. Stupe enim desunt filii, aut si sint, bonis paternis privantur, juxta illud : « Thesaurizavit, et ignorat cui congregavit ea, » *Psalm. xxxviii.* 7. Et : « Stulle, hac nocte animam tuam repetat a te : que autem parasti quibus erant? » *Luce xii.* 20. Sic Roboam opes sibi a patre Salomone relictas, ac regnum decem tribuum amisit, III *Reg. xii.* 20. Insuper Sesae rex Aegypti, anno quinto post mortem Salomonis, diripuit ejus thesauros. Unde S. Antonius apud S. Athanasium, citans hunc locum (licet paulo aliter translatum), sic snos adhortatur ad veritatis virtutisque studium : « Ad summum illud perspicere debemus, quod etsi nostras velimus retentare divitias, cum lege mortis ad ipsas divellamur inviti, ut in libro Ecclesiaste scriptum est : Quia nescit homo quid sit post eum in la-

bore suo. Cur ergo non facimus de necessitate virtutem? cur non ad lucranda regna caelestia ultra relinquimus, quod lucus istius finis perdonum est? Nihil eorum curas sit christianis, quae secum auferre non possunt; illud potius debemus expetere, quod nos ducat ad coelum, sapientiam scilicet, castitatem, justitiam, virtutem, sensum pervigilem, pauperum curam, fidem in Christo robustam, animum irae victorem, hospitalitatem. Haec sectantes mansionem nobis in terra quietorum, secundum Evangelium praeparabimus. »

Tertia, quod nesciat an heres, esto sit filius, cui opes tanta cura (ac subinde per fas et nefas, cum certo animae suae damnationisque periculo) coacervat, sit futurus sapiens an stultus, gratus an ingratus, custos an prodigus : saepe enim filii, laute et luxuriose vivendo, illico dilapidant opes a parentibus tot annis, tantis laboribus partas. Item faciunt nepotes, qui bona sibi a patris, eo quod filiis careant, relicta atque magna sollicitudine coacervata, aleis, symposiis, nugis et pompis prodigunt, aut in meretriciis effundunt. Quare quid vanus est? Videtur Salomon pressagisse stultitiam Roboam filii sui, imo ejus infra certa quaedam indicia in ipso notasse : jam enim grandis natus, adeoque quadragenarius successit patri in regno. Unde Chaldaeus vertit, *et odi labores qui me in hac vita sub sole versarunt; quod enim reliquetur Roboam filio meo, qui mihi in regnum succedet, insurgens Jeroboam servus ejus decem tribus de manu illius auferet, et cum eo in societatem regni veniet.* Hinc Ecclesiasticus *xlvi.* 27, de Salomone ait : « Et derelinquit post se de semine suo genitibus stultitiam, et imminutum a prudentia Roboam, qui avertit gentem consilio suo. » Sic saepe filios a parentum sapientia et virtute degenerare experimur, adeoque commune fore est ut sapientium filii minus ceteris sapiant, imo desipiant. Unde illud : « Herorum filii noxae, » Cujus rei causas physicas et ethicas recensuit *Ecclesi. xxx.* 13.

Quarta, quod heres saepe ignotus, ingratus, stultus et prodigus « dimissabitur in laboribus, quibus desudavi, » ut scilicet ego fecerim opum mearum servus, ille sit dominus; ego in laboribus ut eas congererem desudaverim, ille is voluptuarie diminetur et triumphat. Quocirca sapienter Olympiodorus : « Melius est, inquit, per seipsum, dum sumus in hac vita, dispensare divitias nostras in pauperum et egenorum necessitates, ut thesaurum indeficientem in coelis nobis comparemus, quam alios in eorum hereditatem transmittere, qualescumque domum eos fore contingat. » Et S. Chrysostomus, *homil. 9. De Paenit.* : « Cupis, ait, hereditatem bonam filiiis relinquere? eleemosynam relinque. » Et S. Cyprianus, *tract. De Oper. et elemosyna*, longiuscule ante finem, loquens de vidua quae filios postpositis, farinae, quam habebat, in pane dedit Elei, III *Reg. xvii.* ideoque ab eodem farinae et olei multiplicata



BORE SUI, ET AFFLICTIONE SPIRITUS, QUAE SUB SOLE CRUCIATUS EST?

23. CUNCTI DIES EJUS DOLORIBUS ET ERUBUS PLENI SUNT; NEC PER NOCTEM MENTE REQUIESCIT: ET HOC NONNE VANITAS EST? Campensis, et hoc stultum est; Hebraea, non quod est homini in omni labore et malitia cordis sui, quo ipse laborat sub sole? quia cuncti dies sui in doloribus, et indignatione occupatio ejus: et quidem in nocte non dormit: cor ejus; et hoc est vanitas.

Pro afflictione hebraice est רצון רצון, id est malitia, hoc est miseria, afflictio. Septuaginta vertunt, in separatione, id est in electione, vel voluptate cordis sui; Pagninus, in cogitatione (1); alii, in molimine, vel defatigatione cordis sui, q. d. Quo fine, quo fructu avarus tanta et tam multa assidue molitur, quae defatigat? utique nullo. Campensis, in animi tormentis, quibus se torquet; alii, in contritione.

Avaro-  
rum ve-  
litas.  
Primo.

Pro labore Aquila vertit βασανος, id est tormentum, poena, cruciatus, supplicium, quaestio, examen; Septuaginta ἀγρυπνία, id est molestia, calamitas, tormentum doloris, mœroris et ægritudinis.

Pergit exaggerare vanitatem et afflictionem avarorum, qui coaccervant opes heredi incerto, eorumque usu et fructu genium suum defraudant. Illis enim omnis labor, ipsæque opes non prosunt, sed valde obsunt: idque primo, quia talis perpetuo laborat, nec labore suo fruitur; quare tota ejus vita est labor et cruciatus, imo laborum et dolorum continuus equuleus: « Et cuncti dies ejus doloribus pleni sunt. » Quia, ut ait Hugo et Bonaventura: « Poenam magnam habet inquisitio, sed fructum inventio non habet. » Quare minus genuine Olympiodorus hec refert ad laborem bonorum æque ac malorum: « Advenit, ait, homini labor, quem laborat, sive bonus sit, sive malus, ab electione consilii, ut in virtutem impensus laudandus sit, si vero in vitium, efficiat dies plenos dolorum et molestiarum.

Constat enim ex antecedit, et sequent. hic tantum agi de labore malorum et avarorum, non vero bonorum. Praelare Salvianus, lib. II. *Contra Avaritiam*, in avaros, filios ditare satagentes, invehitur: « Que, ait, insaniam est, o miserini, ut hæredes alios quosecumque faciatis, vos ipsos vero exhereditetis; ut alios relinquatis vel brevi divites, vos ipsos æterna mendicitate damnetis! » Quin et Plutarchus in *Moral.* c. *Avaritia*, ait, ut molestia et morosa heri, parere cogit, frui prohibet, et concupiscentiam cum excitet, voluptatem admittit; et plane multa possidens, ac nunquam consequens ut bene sibi sit, pœter balnearioris asinum, qui ligna et malleolos identidem adportans fumo semper et favilla oppletis in nullam lavaeri, caloris munditiæque partem venit.

Quocirca Palladius aurum vocavit doloris et

(1) Recte.

curæ filium, nec ab illo tantum existimat naturam, sed nutrimum, educatum, fomentum, perpetuoque cum illo, cum dolore nimirum ac labore divites agere vitam affirmavit. Prosper, lib. II. *De Vita contemplat.* cap. XIII: « Divitias, inquit, qui habent, sine labore non quaerunt, sine difficultate non inveniunt, sine cura non servant, sine noxia delectatione non possident, sine dolore non perdunt. »

Secundo, quod cuncti dies ejus « erubus pleni sunt. » Hebraice, ira occupatio ejus; Chaldaeus, ira furoris est negotium ejus; Septuaginta, iracundia sunt dissentio ejus; Syrus, furor conversatio ejus; alius, indignatio negotio ejus; Campensis, cunctus ejus tactio planti; Interpres Nysseni, ira sunt vesulio animi ejus; Arabicus, quoniam universitas dierum ejus in confusione, plena doloribus et iracundia.

Multa enim avaro occurrunt, quæ ejus iram exaccunt et bilem accendunt, ut famulorum negligentia, sociorum perfidia, opum naufragia, hostium rapina, incendia, mercium corruptio, pretii decrementum, et mille talia, ob que irascitur, exarscescit, tumultuatur, furi, sevit. Omne ergo divitum opus et labor non est aliud quam animi sui irritatio et excruciatio. O virtum insignem in se deseruendo et exaristando occupatum! Vere Seneca, *epist.* 80: « Horum, inquit, qui felices vocantur, hilaritas facta est, aut gravis et suppurata tristitia, et quidem gravior, quia interdum non licet palam esse miseris, sed inter serumas cor ipsum exedentes necesse agere felicem. »

Huc facit illud Juvenalis, *Satyra* 14:

Sei quo divitias hæc per tormenta coactas?  
Cum furor hæud dubias, cum sit manifesta pœnensis,  
Ut locuples moriari, æguali vivere fato.

Rursus Seneca, *epist.* 108: « Desunt, ait, inopia multa, avaritiæ omnia. In nullum avarus bonus est, in se pessimus. »

Tertio, quod nec per noctem mente requiescit, quia curæ et sollicitudines ne merces percant, ne diripiantur, ne villis vendantur, etc., eum quiescere non sinunt; cum pauper sua tenui sorte contentus per diem lætus vivat, noctu quietus altum dormiat. Igitur avarus per diem torquetur tristitia et ira, eaque multiplici; per noctem vero inquietudine, vigilis et curis. Thaumaturgus: « Si quidem diu nocturne, inquit, semper urgentibus et corporis et animi laboribus, cor suum perpetuis et evanidis curis lancinat, sequæ molestis negotiis et curis torquet et discruciat; » vel, ut alius vertit, perpetuis animæ curis dixeratur, pœnore illi ob absurda negotia ingemescente et palpitante; et S. Cyprianus, *epist. ad Donat.*: « Inter divitias suas trepidas cogitationes incerta sollicitudo discruciat. Non cibus securo somnuse confingit; suspicatur ille in convivio, et cum epulis mareidum corpus mollior alto sinu condiderit, vigilat in

pluma. Exigit penas pariter de potentiori sublimitas. »

Nervosius S. Augustinus, tract. 9 in *Joannem*: « O homo, inquit, qui laborem amando avaritiam, cum labore amat quod amas; sine labore amat Deus. Avaritia jussura est labores, pericula, tristitia, tribulationes, et obtemperaturus es. Quo fine? ut habes quo impleas arcam, et perdas securitatem; securior forte eras antequam haberes, quam cum habere coepisti. Ecce quod tibi jussit avaritia. Implesti domum, limentur latrones: acquisivisti aurum, perdidisti somnum. Deus sine labore cum amat, acquiritur et tenetur. »

Avaritia  
etiam  
vitiu.

Isidorus Pelusiota, lib. II, *epist.* 233, avaritiam sive opum cupidinem comparat hydrae, quæ multa capita et inexplibilem habebat ventrem; Briareo gigant centimano, et Scyllæ omnia cum navibus sorbenti; ac tandem eam similem esse dicit mulieri amanti et improbae, « belluina forma predata, inquit, ignemque spiranti, ac sexcentis viperas crinium in loco capite habenti, perpetuo sibilantes ac mortiferum venenum evoventes; sexcentas item manus unguibus abundantes, quarum opera et adjuvamento alios laerant, alios sagittis impetit, alii alios pecunias extorquet; ac denique sexcenta ora. Neque enim minatur duntaxat, aut calumnias struit, verum etiam adulatur, ac servilem in modum alloquitur, et pœjerat, turpisque quaestus causa innumeras occasiones excolit. »

Insuper dat eidem oculos acres, asperos et igneos, aures oclusas ad gemitus pauperum; apodem, id est, sine pedibus esse dicit, eo quod quem semel corripuerit, ab eo recedere nequeat, vel nesciat. Vnde concludit: « Equis igitur acerrimo hujusmodi et inexplibili furore, atque innumera peccata et maledicta, et dedecora, et intemperantias, ac petulantias nobis conflante captivatur? Equis animum inducat tum in hæc vita tam misere vivere, ut dies noctesque velut flagris quibusdam laeretur, ne requiem ullam aut somnum sentiat et in futura suppliciorum atque cruciatuum initium accipere? Quid autem initium dico? Hic enim eos quos cepit, tyranno quovis acerbis torquet et excruciat, in eos insultans, ac præcipuas partes attingens, ac ne tantillum quidem interquiescere sinens, verum graviorem ipsis poenam ingerens, quam illi luan, qui ad metalla (quæ atrocissima poena est) damnati sunt. Nam illis confecto opere somno ac quiete frui licet; his ea somni quoque portum velut aggesta terra obstruens noctu quoque seva illa et inhumana edicta proponit; hos enim ad latrocinia mittit, illos ad caedes perpetrandas, » etc.

Hinc pœter avaros esse auri servos et mancipia, imo deteriorationis servis. Servi enim defraudant genium suum, obisque parenti ut erogent pecuniam, qua se redimant et in libertatem afferant. At avarus defraudat genium ut opes recondat, et arce quasi carceri includat, ac simul se eidem

mancipat: « Ubi enim thesaurus tuus, ibi est cor tuum, » ait Christus; misariorus ergo sunt Tantalus, qui in mediis aquis silit; et Mida, qui auro pro esca utens fame perit. Vide Horatium, lib. I. *Serm. Satyr.* 3. Hailonus Armenus, in *Histor. Tartariae*, cap. XXVI, narrat anno Domini 1258, Calliphum ab Haolano hoste captum, fame mori coactum, cum illum conclavi auro gemmisque pleno inclusisset, eo quod auri cupidus, ex avaritia necessarios ad bellum sumptos non suppeditasset, ideoque victus in Haolani manus incidisset.

Quarto, quod avari ut filios vel nepotes ditent, multas fraudes, usuras, iniquos contractus, crudelitatem in pauperes committant, quibus sibi gehennam et æterna tormenta accersunt. Exaggerat hoc graviter Salvianus, lib. III ad *Eccles. Cathol.*: « Amate, inquit, non obstitimus, amate filios vestros, sed tamen secundo a vobis gradu; ita illos diligite, ne vos odisse videamini. Inconscultus namque et stultus amor est alterius memor, et sui immemor. Non accipiet, inquit Scriptura sacra, iniquitatem patris filius, neque pater accipiet iniquitatem filii sui. Et Apostolus: « Unusquisque, inquit, onus suum portabit. » Unde sic concludit: « Relicta itaque filius divitiæ parentes non liberant de mendacitate; imo relicta immoderate filii facultas, parentum est semper mendacitas; ac per hoc nulli parentibus magis noxi, quam filii viciis amati. Dum enim illi patriis bonis affluunt, parentes in sempiternitate cruciantur. Etiam si tam pius sit filius, ut refrigerandi supplicii paterni gratia communicare cum patre postea bona relicta cupiat, non valet; reddere si quidem post mortem patri pietas filii non poterit, quod unicuique indevofo sua et infidelitas denegavit. »

Et paucis interjectis idipsum acris exemplo epulonis perurgit: « Flamme, ait, infelidium mortuorum divitiis non refrigerantur heredum. Dives ille in Evangelio, qui purpura induebat et bysso, absque dubio qui in lectulis in hoc seculo ipse fuerat, etiam hæredes suos morte ditaret; sed nequaquam hoc ei proderat, quod opibus ac talentis ejus germani divites incubant, et illa guttam refrigeri impetrare non poterat. Illi erant in abundantia, sed ille in egestate; illi in gratulatione, sed ille in dolore; illi in divitiis, sed ille in tormentis; illi fortasse jugiter in luxuria, sed ille semper in flamma. O infelix, o miserandum conditio! Bonis suis aliis preparat beatitudinem, sibi afflictionem; aliis gaudia, sibi lacrymas; aliis voluptatem brevem, sibi voraginem perennem. Ubi erant tunc affines, ubi propinqui, vel filii, si habuerat, vel germani quorum meminerat, et quos certe tanto amore dilexerat, ut eorum ne in supplicio quidem positus oblivisceretur? Quid ei proderant, quid suffragabatur? Torquebatur infelix, et opes suas aliis devorantibus, ille refrigerii guttam ardens petebat, et impetrare non poterat. »

Ac rursum post pauca in eorum stoliditatem miserandam exclamat: « O gravis nimium et lugenda conditio! Pauper beatitudinem emit mendacitate, dives supplicium facultate. Pauper cum penitus nil habere, emit aeternas divitias egestate. O quanto has facilius tam multa rerum possessione dives potuerat comparare, qui inter totum aestuans et inter supplicia proclamans: Pater, inquit, Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aqua, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma, » etc.

24. NONNE MELIUS EST COMEDERE ET BIBERE DE LABORIBUS SUIS, ET OSTENDERE ANIMAE SUE BONA? ET VOC DE MANU DEI EST. — Quidam vertit, imo ego video quod hoc ipsum est de manu Dei; Figurina, non enim aliud homini bonum obtinetur ex labore suo, quam quod comedit: quod etiam video manu Dei exhiberi (1).

Olympiodorus, Bonaventura et Hugo uterque, scilicet Cardinalis vice Carensis et Victorinus, imo S. Gregorius, IV Moral. 1 et IV, censent haec et sequentia dici ex sententia stultorum, puta epicureorum, qui pecuniam vitam agebant, quorum haec erat mens et vox:

Edo, bibo, ludo, post mortem nulla voluptas.

Hoc ergo censebant esse de manu Dei, id est, hoc esse bonum et donum felicitatis datum a Deo. Sic dives ille voluptuarius dicebat, Lucæ XII, 19: « Anima mea, comedo, bibo, epulare, habes multa bona posita in annis plurimos. » Quin et Socrates dixit, « probos edere ut vivant, improbos vero vivere ut edant et bibant. » Ita Laertius, lib. VIII; et Aurelianus de Boneso potatore aiebat, « cum natum non ut viveret, sed ut biberet, » teste Eliano, lib. XII Vener. histor. cap. XIX.

Verum natus orationis poscit haec dici ex mente ejusdem Salomonis, q. d. Ego videns vanitatem et stultitiam avarorum, qui corrogant opes haereditario, non sibi, dico satius esse comedere et moderate uti suis bonis, nec fraudare genium suum, sed ostendere, id est exhibere animae suae bona, id est commoda et jucunda, ut honeste genio indulget, hocque esse insigne Dei donum. Ita S. Hieronymus, Albinus, Lyranus, Dionysius, Titelmanus, et alii passim. Unde quidam ex Hebraeo sic vertunt, et quasi comedat, aut quis restinabit (ad laborem meum) magis quam ego? Sic ostendere sepe in Scriptura significat exhibere, dare, praestare; donum enim quod datur, ei cui datur, ostenditur, ut oculos sensusque ejus pascat. Est metalepsis. Sic Psalmi XLVIII, 8, Psalmes orat: « Ostende, id est exhibe, nobis misericor-

(1) Maurer, nihil melius est in homine, homini, quam hoc, ut edat et bibat et videre faciat animam suam bonum, frui faciat animam suam bonis in labore suo, etc. Rosenmullerus, non est bonum in homine, id est penes hominem, in hominis potestate, quod comedat et bibat, hoc pendet ab arbitrio divino. Sed non male Vulgatus.

diam tuam; » unde explicans subdit: « Et salutare (id est salutem vel salvatorem) tuum da nobis. » Sic Exodi XXXIII, 19, Deus dicit Mosi: « Ego ostendam omne bonum tibi, » id est, exhibebo tibi meam essentiam sive meipsum, ut me videas facie ad faciem, sed in corpore assumpto. Visio enim Dei continet omne bonum. Psal. LXX, 20: « Quanta ostendisti, » id est immisitisti, mihi tribulationes. » Psal. LIX, 5: « Ostendisti, » id est immisitisti, « populo tuo dura. »

Tropologicè Titelmanus: Ostendere, ait, animae bona, non tantum significat exhibere commoda sibi, sed et aliis per opera misericordiae; insuper vacare pietati: haec enim est animae pabulum, vita et salus. Unde Chaldaeus vertit, igitur quare alia summum hominis bonum censi possit, quam ut edat et bibat, sequi in luce omnium lautissime accipiat, et videre faciat animam suam bona ante flos hominis, exsequendo mandata Domini, et ambulando in viis quae rectae sunt coram eo, ut benefaciat ei ex labore suo. Verum hoc mysticum est, non litterale, ut mo ostendam.

ET HOC DE MANU DEI EST, — hoc, scilicet comedere et ostendere animae suae bona, q. d. Frui velle fructu laboris proprii, neque avarum illud heredi recondere, insigne est donum et beneficium a manu Dei datum et acceptum: manus ergo, quia donationis et largitionis est instrumentum, hinc pro ipsa donatione et largitione sumitur metonymice; donum intelligit naturae, quod manet ex naturalis prudentiae dictamine, atque ex licito et liberali amore, quo quis amat seipsum.

Mystice S. Augustinus haec accipit de Eucharistiae sumptione; sic enim ait, lib. XVII De Civit. XX: « Quid enim in hac sententia credibilis dicens intelligitur, quam quod ad participationem mensae perlinet, quam sacerdos ipse mediator Novi Testamenti exhibet, secundum ordinem Melchisedech, de corpore et sanguine suo? »

Rursus S. Hieronymus et S. Gregorius IV Moral. 1, haec accipiunt de pabulo S. Scripturae et verbi Dei; Thaumaturgus quoque et Nyssenus, de sapientia et doctrina, quae instar cibi animam pascit, exhilarat, roborat et beat. Thaumaturgus enim sic vertit: « Neque enim summum et perfectum bonum in esculentis et poculentis consistit, et aliis quod maxime Dei beneficio alimenta mortalibus contingunt. Verum probitate praeditus vir, sapientiamque Dei dono consecutus, caelesti voluptate fruatur. »

Et Anastasius Sinaita in Quaest. et Resp. de variis argumentis, Quaest. XLIII: « Non carnaliter, inquit, comedere et bibere jubet Ecclesiastes, sed spiritualiter. Nam, qui dixit: Ne decipiamini in saturitate ventris; quomodo ad ea quae dixit eventenda, jubet letari et ventri indulgere? Comedat autem quisquam et bibat spiritualiter, operans mandata Dei, cibum manentem in vitam aeternam. »

25. QUIS ITA DEVORAVIT ET DELICIAS AFFLUET UT EGO? — Hebraea, quis comedit et quis festinavit, vel acceleravit extra (scilicet ad fructum laboris sui, puta ad epulas) pro me. Hebraeo est verbum חָסַח chus, quod proprie significat festinare. Addit hagninus, et sentire, vel sensibus frui. Unde ipse vertit, quis comedit et sensibus (praesertim gustu) fruatur ut ego? Symmachus vertit ἀναίσθητος, id est, sumptus facit vel consumet; Aquila, et cum secutus S. Hieronymus in Comment. contrarie vertit quoniam, id est parcat: « Quis comedit, inquit, et ovis parcat sine illo? » quia pro חָסַח chus per sekin, legit חָסַח chus per sin, quod idem est cum חָסַח chus, id est parcere. Jam

Primo, Olympiodorus, Hugo uterque, Bonaventura et Lorinus, haec censent dici ex sententia epicureorum; hi enim ut lupi devorant et deliciis affluunt, uti fecit Salomon post lapsum.

Secundo, alii censent Salomonem hac phrasi uti, ut avarum et sordidum in alterum extremum et contrarium, in quo ipse aliquando fuerat, declinet, scilicet ad liberalem suarum opum usum. Sic enim ethici (ut Aristoteles, II Ethicorum) docent vitiosum in alterum extremum conari debere, ut ad medium virtutis perveniat: perinde ac virga curva in adversam plane partem flectitur, ut ad medium rectitudinis deducatur.

Tertio et genuine, Salomon hic suo exemplo confirmat id quod dixit versus precedenti, allicitus avaros, ut opibus labore suo partis moderate utantur, nec iis se defraudent, ut ea servent haereditari, q. d. Me accipite in exemplum usus et fructus bonorum, meque regem sapientissimum Iffailamin. Ego enim pro regali magnificentia devoravi, id est, largiter comedi et deliciis circumfluxi. Quis enim me vixit sumptuosior, liberalior, magnificentior? ut vertit Campensis. Patet ex lib. III Regum, cap. IV. Hinc et Figurina vertit, quis enim comedit, et ad laborem quis promptior fuit quam ego? Vatablus, quisnam edere debet, et quis preparare debet (scilicet ad fructum opum labore meo parturam) praeterquam ego? Devorare enim, regere ac inebriare, subinde non in malam partem, ut gula significet, sed in bonam, ut liberalem usum copiamque notet, accipitur, idemque est quod cibo et potu affluere, sed intra terminos temperantiae et licite hilaritatis. Sic enim fratres Joseph cum eo epulantes inebriati, id est exhilarati sunt, Genes. XLIII, 34. Sic et S. Joannes devoravit, id est avide comedit, librum Apocalypsis, cap. IX. Et virga Aaron devoravit virgas magorum, id est, serpentes Aaronis devoravit serpentes magorum. Utrique enim virgae versae erant in serpentes, Exod., VII, 12.

Mystice, haec referas ad sapientiae studium, ut dixi in fine versus precedenti. Sapientia enim ocellus inditit fuit Salomoni. Unde Chaldaeus vertit, et quis, quiesco, vel in sententia legis vigilantior, vel circa summi iustitiae venturi iudicii diem sollicitus magis quam ego?

Porro Septuaginta pro מימימי mimemi, id est pro me, vel sicut ego, legentes מימימי mimemi, id est ab illo, id est sine illo, vertunt, quis enim comedit, et quis bibet sine illo? scilicet Deo, q. d. Cibus et potus, quem edis et bibis, non tuum, sed Dei est donum, ab ejus liberali manu acceptum, uti dixit versus praecedens, illi ergo per gratiarum actionem referendum est (1).

Sic et Arabicus: Quoniam, ait, quis manducavit aut bibit extra seipsum; sic et Syrus et Thaumaturgus: Nihil enim, inquit, salutem nostram servans, extra seipsum est providentiam. Hinc Clemens Romanus, lib. IV Constit. cap. IV, monet viduas, pupillos et pauperes, ut illa quae sibi dantur, cum omni metu, reverentia et gratiarum actione recipiant. « Quis enim vestrum, inquit, edit aut bibit sine ipso? » scilicet Deo. Citat enim hunc locum juxta Septuaginta. Necdum enim exstabat S. Hieronymus ejusque Latina Vulgata versio. Et Olympiodorus: « Dona adiaphora, inquit, id est hominibus tribuuntur, qualia sunt divitiae, bona valetudo, auctoritas; nihil ergo in hominibus inventurum boni, praeter edendi bibendique voluptatem. »

26. HOMINI BONO IN CONSPPECTU SUO (Symmachus, qui placuit ei) DEDIT DEUS SAPIENTIAM ET SCIENTIAM ET LETITIAM: PECCATORI AUTEM DEDIT AFFLICTIONEM ET CURAM SUPERFLUAM, UT ADDAT ET CONGREGET, ET TRADAT EI QUI PLACUIT DEO: SED ET HOC VANITAS EST, ET CASSA SOLICITUDO MENTIS. — Hebraeo est מַלְיָה malitia, id est afflictio spiritus, de qua dixi vers. 11, et cap. I, 14. Pro peccatori Figurina vertit, aberranti a recto itinere sapientiae et felicitatis, vitioque juvendale. Syrus vertit, quoniam viro qui est bonum in conspectu suo, dedit sapientiam, etc. Arabicus, concessit enim homini bonum, et dedit hanc faciem sapientiae et gaudii; et dedit illi qui peccat confusionem, ut augetur et congreget, ut det illud bono ante faciem Dei. Chaldaeus, quoniam viro cuius opera recta sunt, concessit in hoc mundo sapientiam et cogitationem, tandem quoque venturo saeculo letitiam; improbo vero subiecit malum quoddam, ut opes congreget, congregetque res multas mancipii, ut aliquando ab eo recepta, illi, quem elegerit Deus, transcribantur. Hoc etiam est vanitas impio, et animi aegritudo. Huc pertinet proverbium Arabicum, Centur. 1, num. 33: « Allide malam Medicum (marangum) malo punice, id est, pone in corde sapientiam, et thesauriza in corde tuo scientiam (2). »

Insistit declarandae vanitatis avarorum, coacervantium opes suis videlicet et haereditibus, eamque

(1) Quae lectio et sensus praeposuit.

(2) Hebr. est, nam homini qui bonus est coram eo, Deo, Deus dat sapientiam et scientiam in comparandis administrandisque opibus, et gaudium, hilarum mentem, ut jucunde his frui possit. Sed peccatori dat negotium molestum colligendum et coacervandum opes, ut det, scilicet, improbus colligat illas, et qui bonus est coram Deo, probus etiam hoc est varum et studium suum. Hoc explicat S. Hieronymus ita: « Sed et hoc, inquit, diligenz insipientem, et videns omnia morie fieri, vanissimum judicavi. »

confirmat ex discrimine honorum et peccatorum. Sensus est, *g. d.* Hoc est discrimen inter sapientem sive bonum, et insipientem sive peccatorem, quod Deus sapienti, qui in conspectu suo bonus est, hoc est, qui Deo placet et acceptus est, det sapientiam cognoscendi veritatem, scilicet verum minuscujsque hominis bonum solum esse in Deo, Deique cognitione, amore et cultu; et scientiam, qua prudenter opes congreget, easque dispenset ex legis Dei præscepto ad suam surque familiae sustentationem, et quod superest subventioni egeporum impendat; indeque lætiam, quod veritatis, id est Deo inmixtus vanas opes parvipendat, easque rite distribuat ad usus honestos quibus sibi Dei gratiam et gloriam conciliat. Unde Chalcæus verit, *deditque ei lætiam cum justis in futuro seculo; peccatori autem Deus dedit afflictionem et curam*, ut laboriose et anxie coarcevet opes, easque deinde reliquit heredi, non quem ipse mente destinavit, sed ei qui placuit Deo, quem scilicet Deus designavit, qualis est pauper vel justus aliquis liberalis, qui eas in pauperes vel opera pia expendit. Symmachus verit, *ut dentur illi qui placuerit Deo, juxta illud Proverb. cap. xiii, 22: « Bonus relinquit heredes filios et nepotes, et custoditur justo substantia peccatoris; »* vel, ut legit S. Augustinus, *epist. 50: « Thesaurizantur justis divitiæ peccatorum. »* Et *Job, cap. xxvii, 16: « Si comportaverit quasi terram argentum, et sicut lutum preparaverit vestimenta; præparabit quidem, sed justus vestietur illis, et argentum innocens dividet. »*

Nota primo, quod dicitur, *bonus in conspectu suo*, Albinus *æ suo* refert ad ipsum hominem bonum, quasi dicat: Homo qui sibi ipsi in conscientia videtur bonus et probus. Verum *æ suo* refert Deum, qui sequitur. Jam « bonus in conspectu Dei » per Hebraicum idem est quod placens Deo, gratus oculis Dei. Potest autem quis gratus esse Deo multis nominibus, et ob varias dotes tum naturæ, tum gratiæ; ob dotes nature possunt etiam peccatores placere Deo: ob dotes gratiæ soli justis, qui proprie dicuntur grati esse Deo, illique placere velut ejus amici, filii et heredes. Et sic hic accipitur. Opponitur enim peccatori, quamquam per peccatorem proprie hic intelligitur avarus, ac consequenter per bonum in conspectu Dei, liberalis, ut *Psal. cxvii, 2: « Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus. »*

Nota secundo: Pro lætitia, quam inliti sibi placenti et grato Deus, peccatori dat afflictionem et curam, id est laborem, sollicitudinem, molestiam, difficultatem coarcebrandi opes. Hæc afflictio partim est pena, et hæc ratione positive a Deo immittitur peccatori, ut illa reu flagello ejus peccata præsertim avaritiæ castiget, eumque ad bonam solertia quaerenda impellat et adigat, ait Olympiorus: partim est culpa, quatenus ab avaritia proficiscitur, ejusque est affectus et actus, et sic

non positive, sed permissiva a Deo infligitur peccatori. Deus enim peccatum minus peccato majore castigat, permittit ut peccator in peccatum præcedentium peccatorum labatur in avaritiam tantam, quas illi mille curas, angores et dolores conciliat. Igitur sicut sapientia, virtus et liberalitas parit mentis lætiam, et conscientie de bonis operibus exsultantis mirificum gaudium: sic insipientia, vitium et avaritia parit mentis angores, dolores et sollicitudines. Vere Seneca, *epist. 23: « Hujus ( bonæ mentis ) fundamentum hoc esse dixi; etiam culmen est. »*

Nota tertio: Hæc gnome significat quid sepe fiat a Deo, non quid semper: nam subinde vice versa Deus justos ad incrementum patientiæ et meriti sinit paupertate affligi, ut omni suo labore et cura vix sumptus ad attendam familiam necessariis parare possint; impii vero dat copiam opum ultra et sine labore, qui proinde illis lætantur et epulantur, ut non raro fecit in Novo Testamento: in Veteri enim fere faciebant contarium. Judeis enim promiserat copiam rerum temporalium, si sibi fideliter servirent. Unde exempla hujus sententiæ sunt in Hebræis, qui deo Mose exeuntes ex Aegypto, a Deo obtinuerunt opes et spolia Aegyptiorum, *Exodi cap. xii, 36*. Idem, dicit Josue, expugnantes Chanaanos eorum divitias possederunt, ut patet ex libro Josue, etc. Sic David possedit bona avari et stulti Nabal, dicens ejus uxorem Abigail, *I Reg. xxv, 42*; item opes Syrorum, Ammonitarum, *I Reg. x et xi*; ac Moabitarum, *II Reg. viii, 4 et 11*. Sic opes congestas a Diocletiano et Maximiano juratis hostibus christianorum, obtinuit Constantinus Magnus, qui ex eis basilicas et templa plurima christianis magnificentissime exædificavit. Idem hodie sepe fieri videmus. Sane hereticorum opes perperus Deus ad christianos, imo ad religiosos derivavit. Ita ex hereticorum bonis crevit plura collegia Societatis Jesu, quæ heresim convolverent, et hereticos ad fidem orthodoxam converterent. Tale est collegium Augustæ Vindelicorum a Fuggeris, quorum nonnulli tum Lutherani erant, erectum: tale quoque est collegium Gandavense in Belgio, ubi natus fuit Carolus V, et alia plura.

SED ET HOC VANITAS EST, ET CASSA SOLLICITUDO MENTIS. — Loquitur de peccatore et avaro, cui Deus dedit afflictionem et curam superfluam: nam bono et liberali dedit sapientiam et lætiam, ut paulo ante dixit. Minus recte ergo Cajetanus idipsum ad bonum et liberalem extendit, qui fruitur opibus labore suo partis. Licet enim, inquit ipse, sit hoc donum Dei, tamen *vanitas* vocatur, quia res modica est citoque evanescent. Minus apte quoque Hugo Victorinus idipsum dilatat « ad vanitatem et cassam sollicitudinem justis, requirentis divitias peccatoris, aut illas concupiscentis, et si acceperit, cor apponitis. » Pro *cassa sollicitudo mentis*, ex Hebræo veritas, *passio ventis, g. d.* Opes et res omnes terrenæ non magis

repient mentem, quam ventus satiet famem. Audi S. Bernardum *De diligendo Deo: « Justitia rationis utilis spiritus, cibus est vitalis et naturalis; pecunia vero ( et idem de aliis bonis diceret ) sic non replet vel minuit animi famem, quomodo nec corporis ventus. Denique, si famelicum hominem aperis foveibus vento inflatis haurire buccis ae-*

*rem cernas, quo quasi consulat fami, nonne credas insanire? Sic non minoris insanie est, si spiritum rationalem rebus putes quibuscumque corporalibus non magis inflari quam sarari. Quid namque de corporalibus ad spiritualia? Nec illi sane spiritualibus, nec isti e regione refici corporalibus queunt. »*

## CAPUT TERTIUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

*Ostendit vanitatem rerum ex tempore, cui omnes subiacent. Primo, ex eo quod singula cum tempore transceant ac suas subeant vias et vicissitudines, idque multis exemplis per antithetorum combinationes demonstrat. Secundo, vers. 14, ex eo quod tempus, et res temporales comparatæ Deo, Deique operibus, utpote constantibus et perpetuis, sint vanæ et instabiles, fluidæ et caducæ. Tertio, vers. 16, quod tempus omnia mutans subinde inducat tyrannides et tyrannos, sub quibus regnant scelera et scelerali, assignantur et exulant virtutes, ac virtute præditi. Quarto, vers. 18, quod tempus hominibus adducat mortem, et interitum similes bestiis.*

1. Omnia tempus habent, et suis spatibus transeunt universa sub celo. 2. Tempus nascendi, et tempus moriendi. Tempus plantandi, et tempus evellendi quod plantatum est. 3. Tempus occidendi, et tempus sanandi. Tempus destruendi, et tempus ædificandi. 4. Tempus flendi, et tempus ridendi. Tempus plangendi, et tempus saltandi. 5. Tempus spargendi lapides, et tempus colligendi. Tempus amplexandi, et tempus longe fieri ab amplexibus. 6. Tempus acquirendi, et tempus perdendi. Tempus custodiendi, et tempus abjiciendi. 7. Tempus scindendi, et tempus consuendi. Tempus tacendi, et tempus loquendi. 8. Tempus dilectionis, et tempus odii. Tempus belli, et tempus pacis. 9. Quid habet amplius homo de labore suo? 10. Vidi afflictionem, quam dedit Deus filiis hominum, ut distendantur in ea. 11. Cuncta fecit bona in tempore suo, et mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio usque ad finem. 12. Et cognovi quod non esset melius nisi latari, et facere bene in vita sua. 13. Omnis enim homo, qui comedit et bibit, et videt bonum de labore suo, hoc donum Dei est. 14. Didici quod omnia opera, quæ fecit Deus, perseverent in perpetuum: non possumus eis quidquam addere, nec auferre quæ fecit Deus, ut timeatur. 15. Quod factum est, ipsum permanet: quæ futura sunt, jam fuerunt: et Deus instaurat quod abiit. 16. Vidi sub sole in loco judicii impietatem, et in loco justitiæ iniquitatem. 17. Et dixi in corde meo: Justum et impium judicabit Deus, et tempus omnis rei tunc erit. 18. Dixi in corde meo de filiis hominum, ut probaret eos Deus, et ostenderet similes esse bestiis. 19. Idcirco unus interitus est hominis et jumentorum, et æqua utriusque conditio: sicut moritur homo, sic et illa moriuntur: similiter spirant omnia, et nihil habet homo jumento amplius: cuncta subiacent vanitati, 20. et omnia pergunt ad unum locum: de terra facta sunt, et in terram pariter revertuntur. 21. Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, et si spiritus jumentorum descendat deorsum. 22. Et deprehendi nihil esse melius, quam latari hominem in opere suo et hæc esse partem illius. Quis enim eum adducet, ut post se futura cognoscat?

1. OMNIA TEMPUS HABENT, ET SUI SPATIIBUS TRANSEUNT UNIVERSA SUB COELO. — Pro tempus hebraico est *727 zeman*, id est tempus statutum, sive consti-

tutum. Hebræa ergo sic habent, *omni rei est tempus constitutum, et tempus omni voluntati* (id est omni volito, sive omni rei quam quisque optat